



EPITHALAMIA,

IN FESTIVITA-

TEM NVPTIARVM RE-

uerendi, pietate & eruditione ornatissi-
mi viri, Domini Valerij Rutilij, Eccle-
siae, quae in Matsted colligitur, Mi-
nistri vigilantissimi Sponsi,

ET

PVDICISSIMÆ HO-

NESTISSIMÆQUE FOEMINÆ KV-
nigundæ, viri integerrimi, Aulæq; Vinariensis olim
ministri fidelis. Ruperti Pulnix, sanctæ me-
moræ, relictæ Coniugis,
Sponsæ.

*Celebratarum Vinaria 8. Calend. Octob.
Anno Christi M. D. XCIII.*



LIPSIÆ, Ex Officina typographica
Abrahami Lambergi.



Laudabunt alij Claras Aganippidos undas,
Qua stant Aonij culta palaestra chori. (bas,
Quē iuvat, hic laudet, quas fert Epidauri her.
Quasq; metalliferas parturit Hermus, opes.
Sit mihi fas cantare thori socialia iura,
Sit mihi fas tædas condecorare pias.
Ergò age dulcis Hymen subito, tua munera dico,
Huc ades, Urania nate sororis ades.
Tuq; novenarum Princeps, splendorq; sororum
Huc ades, & rebus suggere verba meis.
Vos quoq; consortes Patria, vos Misnica rura,
Et tu Saxonicum iubila funde solum.
Nā novus ingreditur templi sacra limina sponsus,
Et pactam certo firmat amore fidem.
Ecce sacram Titan meliori sidere lucem
Spargit, & optatum fundit ab axe iubar.
Cum puero Cytherea suo felicia promit
Sidera, quid? tædas ipse salutat Hymen.
Ipsa supercilij posito grauioris honore,
Melpomene cithara liberiore canit.
Hinc patet, hinc constat, quam sit venerabile fædus
Coniugium, & res sit quanta subire thorum.
O nimium felix, o terq; quaterq; beatus,
Cuius init sanctum Sponsa petita thorum.
Coniugium res magna: Velut cultissimus hortus
Multis nectareus floret ubiq; bonis.
Nam varias escas, & grata alimenta ministrat,
Serta dat, & flores, poma dat, atq; pyra: Sic.

45
Sic varias Thalamus plantas, fecundaq̄ profert
Pignora, totius stat quibus orbis honor.
Verum ceu plantis non vis, eademq̄ potestas,
Plurima dum morbi damna cauere queunt:
Hæc sanat choleras, hæc vulnus, at illa catarrhū,
Tollitur hæc podagra sistitur atq̄ dolor.
Pignora diuersis sic rebus idonea plantat
Legitimi fædus connubiale thori.
Hic crepitante sonat sacra mystica voce Tenantis,
Felix Pæonias colligit alter opes.
Hic studet immensi transire per æquora Iuris,
Vt scelerum casus dissoluisse sciat.
Hunc, cum tam varijs Thaumantis nata figuris
Prodeat, hunc cæli sidera nosse, iuuat.
O felix, nimium felix, cui contigit aptam
E Nymphis Nympham consociare sibi.
Et meritò: quoniam cunctarum maxima rerum
Fulera maritali stant benè nixa thoro.
Ergò VALeri, tuum factum laudabile laudo,
Legitimi consors quod velis esse thori.
Adsit primus Hymen vindex autorq̄ Pudoris,
Qui docuit tædas sollicitare sacras.
Heu tristes Cypria pœnas lasciuia soluit,
Sed Pudor extructos effugit usq̄ rogos.
Hinc sacra Penelopes fidei monumenta supersunt,
Dum lusit turpes fraude decente procos.
Nomen inextinctum Iuuenis, sunt Biblia testis,
Hic habet Abramida sanguine cretus auis: Quod

Quod non illicito collum submisit amori,
Abnuat & Domina spurca petita sua.
Sed diras patitur pœnas Priameius hospes,
Sectando Veneris castra nefanda Dea.
Ipsa Therapneæ sata rure puella pudoris
Excussi pœnas, suppliciumq; luit.
Libera num pœnis Agamemnonis uxor abiuit?
Omnis an Ægystho pœna remissa fuit?
Haud reor: ergo pudor uultu pudor alme serenans
Huc ades, & captis da pia uela pijs.
Eueniat uotum: Video meliora: Sacerdos
Precipit unanimes uiuere carne duos.
Accedo propius: thalami nunc grator honorem,
Comprecor & captis fata secunda pijs.
Ecce tibi faustis anibus deducitur uxor,
Quæ toties uotis, Sponse, petita, tuis.
Omnibus hæc splendet uirtutum dotibus aucta,
Inter quas Pietas symbola prima gerit.
Qualis erat nuptura suo Lucretia Sponso,
Isacida qualis casta Rebecca fuit:
Talis & ipsa tuos repetit KVNIGVnda penates,
Iungitur & thalamo, FRATER amande, tuo.
Hæc tibi tristitiam fugiet, solatia dicet,
Hæc tibi præclari Pœonis instar erit.
Hanc igitur uenerare diu, uenerare frequenter,
Libandolabijs oscula grata tuis.
Hanc cole: quid trepidas? cū non hæc impia Progne
Sit, neq; Xantippe iurgia sæpè mouens. Nunc

Nunc KVnigunda tuos titulos tibi grator honorū,
Grator & inceptas mente fauente faces.
Accipe nunc, totisq; tuum complectere Sponsum
Viribus, observa sponsa decora virum.
Quamuis diuitias tibi non adducat Hetruscas,
Nec ferat immensas Laomedontis opes:
Attamen ut Victor, Phæbeia signa secutus
Astat, & Aonidum celsa trophæa gerit.
Hunc commendat AVVS, cuius sudore LVTherū
Assiduo libros Phæbus uterq; tegit.
Da modò te facilem, nec detestare maritum,
Interdumq; suo ritè labore leua.
Quod mortem petijt, Coniux Philacëia viuit,
Audit ut Amonium morte perijisse virum.
Laudibus ornatur, voluit quod fida maritum
Per mare, perq; niues, Hypsicratea sequi.
Sed quid opus longis monitis? KVnigunda fidei
Tu saltem Sponsum sedulitate cole.
Annuit, hoc cupio: res est letissima, letor:
Cui placet, hic letus, flamma iugalis, erit.
Nunc mea Musa silet: faciles vos plaudite Musæ,
Aoniaq; thorum concelebrate lyra.
Quod superest, vestra DEA Prænestina carinæ
Vela regat, noceant ne fera bella Noti.
Discedant luctus, morbi, curaq; famesq;
Emaneant Eridos poma maligna Deæ.
Viuite felices, concordēs viuite semper,
Quo thalami subeat limina vestra Deus. Tuq;

Tuq; maritali Lachesis iam parce cubili,
Quo Pylios superet Sponsus uterq; dies.
Vivite felices, felici sidere iuncti,
Crescat in immensum pignoribusq; thorus.

Georgius Rutilius Thebanus frater Sponsi.

A L I V D.

Rotulit hanc etiam Coniux Thithonia lucē,
Qua sua RVtilium sub iuga traxit Amor.
Et benè: Cernit enim sic ordine singula ferri,
Expetat vt sociam res sibi quæq; suam.
Nam quæcunq; tulit liquidas Natura sub auras,
Omnia constringit munit & vnit amor.
Nec quid tam rigidum, quod nō succumbat amori,
Impositum Veneris quodq; grauetur onus.
Pardus amat Pardum, Tigrim Gangetica Tigris.
Ipsa suo gaudet compare turba maris.
Mutuus ardor agit plantas, & quælibet herba
Gaudet in alterius se sociare vices:
Vlmus amat vitem gaudentq; fysimbria Menthis,
Smilax Sicanij flagrat amore Croci.
Quid moror? aspicias paruum sub imagine mundū
Inuenies focij plurima signa thori:
Præditus est geminis oculis, palmisq; duabus,
Auribus & binis condecoratus homo.
Et veluti cunctas proles Latonia stellas
Vincit, & errantes pulchra Diana faces:
Dædala sic inter pulcri sistemata mundi
Excellit, focij nobilis ordo thori.
Militat hic etenim Pietas, Patientia, cultus,
Militat hic Probitas, militat ipsa fides.
Tolle thorum, tolles medium, quo sancta trophæa
Virtutum niti, ceu trabe fulta, solent. Inde

Inde resultat enim, sanctum qui pascit ouile
Nectare cœlesti, Sionioq; mero,
Hinc venit interpretes legum Iurisq; sacerdos,
Qui facit Astrææ lancibus æqua Dex.
Hinc alius medica Chironis pascitur arte,
Pœonioq; suum pectus odore replet.
Hinc sunt, qui Sophiæ Claros lustrando recessus
Miscent cum Latij's verba Pelasga sonis.
Non mihi Smyrnæi si currant flumina Vatis,
Condere fas esset commoda cuncta thori.
Eximit è mundo clarissima lumina solis,
Connubij tædas qui negat esse ratas.
Ergò Cuculligeri, meretrix Babylonica, fratres,
Semiuiriq; Popæ, tuq; Suita, Vale.
Irrita vos etenim naturæ bella mouetis,
Tollitis & summi iussa verenda Dei.
Qui duo vult parili coalescant corpora nexu,
Vnus & amborum pectora feruor agat.
Ut, veluti varijs ornatur floribus hortus:
Sic quoq; multiplici prole stet aucta domus.
Hinc meritò Neonymphe tuis applaudimus ausis,
Coniugij Christo quod duce iura subis.
Ambit inauratis te nunc fortuna quadrigis,
Parq; fuit uoti nulla caduca tui.
Munus amoris habes casti, quod cuncta metalla
Vincit, & Attalicas, quas parit Hermus opes.
Munus amoris habes, quod non Panchaica terra,
Incola nec Syriæ, nec tibi vendit Arabs.
Sed qui nostra suis accendit pectora flammis
Instituens thalami iura colenda, Deus.
Hic facit, ut KVNIgunda tuos noua nupta penates
Intret, & amplexu gaudeat vsq; tuo.

Hanc

Hanc, vt ameris, ames, hanc circumplexe lacertis
Sponse tuis summi muneris instar habe.
Digna nouenarum Cultore Marita Sororum,
Digna reperta tuo, Sponse, Marita thoro.
Et tu Sponsa tuum palmis amplectere Sponsum,
Qui decus est Clariæ Bellerophontis aquæ:
Namq; statim vegetæ primo sub flore iuuentæ
Vixit in Aonidum Thespiadumq; iugis.
Testis, Apollinea quæ pro Phorcynide, Mulda
Castalias pueris eiaculatur aquas.
Testis Iena, suis quæ pocla propinat alumniis
Plena Medusæo, Sionioq; mero.
Strenuus hic dulces fragrante Sionis in horto
Decerpfit flores Nectareasq; rosas.
His colit arua Dei, quæ nunc pulcerrima florent,
Hic vbi Matsted agros, quos benè plantat, habet,
Sed benè habet: Venit Hymen, adest Erycina, pro
Iuno, sed his prior est omnibus ipse Deus. (pinquat
Hoc duce connubio, cæptis hoc auspice tædis,
Omnia successu prosperiore fluunt.
Mella ferent quercus, gratum rubus asper Amomū,
Sudabunt syluæ balsama, Nectar Atlas.
Omnia contingent niueis signanda lapillis,
Omnia Thrëicijs condecoranda typis.
Pax, Amor, & placidæ nutrix Concordia vitæ
Aspirent tædis dulcia mella nouis.
Tandem Cumæos vbi vita peregerit annos,
Cœlestes repetat Sponsus vterq; plagas.

Adamus Reinhardus Echardimontanus,
Scholæ Phylireæ Alumnus.

F I N I S,

aut emissa voce magna ex
piravit **ps. nr.** Et uidi ce
ph lassu e' in duo. alio me uita
deorsu. Vides aut' e' in quo
exadulo stabat. ga sic clamor
expirasti ait. Ver' hic homo
di filius erat. Erat aut' e' in
heres de lege abiturus. ne
qs erat in terra. in terra
et maria. in terra. in terra. et
yoseph man' e' salu' me
Et cu' e' in terra. in terra. in
eu. et misit. in terra. in terra.
miser q' h'ent e' in terra. in
u' h'ent e' in terra. **ex.** **E**
seru e' in terra. in terra. in
erat qd e' in terra. in terra. in
yoseph ab' in terra. in terra. in
decurio qd ipe e' in terra. in
terra. in terra. in terra. in
me adp' h'ent e' in terra. in